

nobis, ita beati Gulielmi Abbatis merita venerari, ut ejusdem excipiamus suffragia, & vestigia prosequamur. Per Dominum.

In I. Noct. lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GULIELMUS nobilibus parentibus Vercellis in Insubriâ natus, vix quartum decimum ætatis annum expleverat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans, Compostellanam peregrinationem ad celeberrimum Sancti Jacobi templum aggressus est. Quod iter unâ amictus tunicâ, ac duplici ferreo circulo præinctus nudisque pedibus prosecutus, asperrimo frigoris & æstûs, famis & sitis, summo cum vitæ discrimine, perpessus est incommoda. Reversus in Italiam, novam ad sanctum Domini sepulchrum peregrinationem molitur; sed quominus propositum exequatur varia atque gravissima intercedunt impedimenta divino Numine ad altiora & sanctiora religiosam juvenis indolem retrahente. Porro in soliculo monte S. Urbano biennium inter assiduas preces, vigiliis, chameunias & jejunia commoratus, divinâ subnixus ope, cæco lumen restituit, cujus miraculi famâ percrebescente, jam Gulielmus latere non poterat: quare iterum Jerosolymam cogitat, & alacris se itineri committit.

κ. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum; * Et dedit illi claritatem æternam. *ν.* Justum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi regnum Dei. * Et.

Lectio V.

DEI autem monitu, qui eidem apparuit, à proposito revocatur, utilior

ac fructuosior tam apud Italos, quam apud exterarum nationes futurus. Tùm Monasterium in Virgiliani montis cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero & inaccesso mirandâ exædificat celeritate. Socios deinde viros & religiosos adsciscit, eosque ad vivendi normam evangelicis præceptis & consiliis summoperè accomodatam, tum certis legibus ex beati Benedicti institutis magnâ ex parte desumptis, tum verbo & sanctissimæ vitæ exemplis, informat.

κ. Amavit eum Dominus & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. *ν.* Induit eum Dominus lorice fidei, & ornavit eum. * Et.

Lectio VI.

ALII deinde monasteriis erectis, clarior in dies Gulielmi, facta sanctitas, multos ad eum undique viros perducit, sanctitatis odore & miraculorum famâ allectos. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorem, varioque & immedicabili morbo laborantes sanitatem ipsius intercessionem receperunt. Aquam in vinum convertit, aliaque complura mirabilia patravit: inter quæ illud non silendum, quod, mulierculâ ad ejus castitatem tentandam missâ, in ardentibus prunis humi stratis, illæsum se volutavit: de quâ re certior factus Rogerius Neapolis Rex, inde in summam viri Dei venerationem adducitur. Demum, tempore sui obitus rege aliisque prænuntiato, innumeris virtutibus & miraculis clarus, obdormivit in Domino, anno salutis millesimo centesimo quadagesimo secundo.

κ. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi